Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uellet rusticanus ille stans. et harenam tenens in uase. Et respondens ad nos senior dixit. Non quidem oportebat me o filioli uobis hoc prodere. ne uideamur inde opere gloriari. et merces laboris nostri pereat. tamen pro edificatione uestri et utilitate. et quia tam longo itinere uenistis ad nos. non patiar et iam hoc abscondi a uobis. sed enarro opera dei que dignatus est implere per nos. Terra regionis huius que in uicino nostro colitur sterilis ualde et infructuosa fuit. ita ut excolentibus quando semina ex necessitate suscepit. duplicata uix redderet. Vermes enim quidam nascebantur in ipsis germinum culmis. et ascendentes segetem succidebant. Erant autem agricole loci ipsius gentiles. Hos nos cum docuissemus dominum credere. et fidem Christi suscipere. christiani iam facti. uenerunt ad nos rogantes ut oraremus dominum pro segetibus eorum. Et cum diceremus eis nos quidem oraturos. sed fidem ipsorum requiri apud dominum quod hoc percipere mererentur. illi ex harena que calcatur a nobis. sinus suos replentes obtulerunt nobis. rogantes ut in nomine domini benediceremus. Et ego aio ad eos. Secundum uestram fidem fiat uobis. Tunc illi auferentes harenam secum miscuerunt seminibus que seminaturi erant. et sparserunt per agros suos. et tantum fructum collegerunt quantum nulla usquam potuit egypti terra colligere. Ex eo ergo consuetudo est eis bis per annos singulos uenire ad nos. et eadem expetere a nobis. Sed et illud non celabo uobis. quod mihi dominus ad gloriam nominis sui prestitit. Descenderam aliquando ad ciuitatem. et inueni ibi uirum quendam doctorem manicheorum seducentem populos. cum hoc habui conflictum sermonis. Sed quia erat uersutus nimis et concludere eum uerbis non poteram. ueritus ne auditorum turbe lederentur. si ille in uerbis quasi superior abscessisset. audientibus omnibus dixi. Accendite ignem plurimum in medio platee. et ambo intremus flammam. si quis nostrum non erit adustus huius uera fides esse credatur. Quod cum dixissem ualde placuit populo. et continuo ignis accenditur plurimus. Tunc ergo apprehensum illum. cepi mecum pertrahere ad ignem. Non inquit ita. sed unusquisque nostrum singulariter ingrediatur. primus tamen tu debes intrare. qui hoc ipsum proposuisti. Et ego in nomine Christi consignans me metipsum. medias flammas ingressus sum. Ignis uero huc illucque dispergi. ac fugere a me penitus cepit. Steti in medio ignis dimidiam fere horam. et in nomine domini in nullo penitus lesus sum. Videntes populi cum ingenti admiratione acclamauerunt et benedixerunt dominum dicentes. Mirabilis deus in sanctis suis. Ceperunt et perurgere et manicheum. ut intraret in ignem. At ille reluctari cepit. et subtrahere se. Tunc comprehendentes eum turbe iniecerunt eum in medium ignis. Et statim circumdans eum flamma atque adurens semiustum reddidit. Et illum quidem cum dedecore ex urbe populus eiecit. clamans et dicens. uiuus ardeat seductor. Me autem assumentes secum. et benedicentes dominum. ad ecclesiam perducunt. Alio quoque tempore dum transeo iuxta templum quoddam. uidi sacrificare gentiles. et aio ad eos. Cur uos cum sitis homines rationabiles immolatis mutis. et insensibilibus simulacris. Nonne et iam uos multo magis sine sensu estis. quam illi quibus immolatis. Ad hunc sermonem dominus aperuit eis intellectum. et relinquentes errorem suum quem agebant secuti sunt me. et crediderunt saluatori domino nostro. Fuit mihi aliquando hortulus monasterii uicinus. in quo propter aduenientes fratres holera colere uidebamur. Quidam autem gentilis ingressus est nocte et furatus est holera. Que cum pertulisset ad domum suam. ignem apposuit ut coqueret. Cumque tribus horis continuis igne suggesto. neque feruere neque emolliri. aut calefieri aliquatenus potuissent. sed permansissent eadem uiriditate qua missa sunt. et neque aqua uel leuiter calefieri potuisset. in semet ipsum regressus ille qui furatus est. erepta rursus de foco holera reportabat ad nos. Et prosternens se ante pedes nostros. rogare cepit ut peccati sui ueniam mereretur. et fieri christianus. quod et impetrauit. Accidit autem eadem die hospites uenire ad nos plurimos fratrum. quibus oportune holera ipsa parata sunt. Gratias autem referentes domino pro mirabilibus suis. duplicem leticiam gessimus. et pro salute hominis. et pro beneficiis diuinis.

Vita S. Mariani monachi

Sanctorum presbiterum illustriumque quorumlibet uirorum gesta quantum sint insignia. licet uenerande antiquitatis fuerint sua auctoritate et pondere fulta. uerumtamen nisi fidelibus litteris diligentique custodia memorie commendentur. cadentibus studiis litterarum temporibus modernorum in negligentiam per tot seculorum spacia in obscurum obliuionis uolucrum delabuntur. Ideoque minime est admirandum. si humilium uirorum res geste historieque sine memorialibus scriptis fidelium subsequentium auribus fuerint retinende. tamquam fumus ab oculis in tenues auras euanescunt. Quapropter antecessores nostri nos quoque Christi pro remedio animarum de finibus occidentis nudum Christum nudi sequentes. patriam carosque propinquos amore ac desiderio uite celestis derelinquentes. ne uideamur ab origine sicut uultur et ardea quorum ortus et exitus soli deo est cognitus. qualiter de dulcibus hybernie soliis. quo doctore quibus principibus urbis inclite pie matris. peregrinorum precipueque scotorum suburbia ratispone ciuitatis diuina nos ducitante gratia habitare incepimus. pro modulo paruitatis nostre uenturis fidelibus utcumque balbutiendo puerili ac simplici stilo commendabo. Sed fortuitu aliquis zelo pietatis bono in peregrinos siue nomina in constantie